



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vt sit vtendum recreationibus & remedijs sanitatis. Epist. XXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

oremus pariter. In hoc exercitij genere beatae Mariæ virgini tribuere locum potes in litera M. propter nomen Mariæ, vt omnes huiusmodi versus ab M. incipientes, in ipsius canas venerationem Deo. Potest ei quoque locus dari cum sanctis omnibus virginibus præcipuis in litera V. Postremò pro stabilien- do cor de obseruare potes, vbi versus in secunda persona ad Deum dirigitur, cuiusmodi est hic versus, *Domine Dominus noster*, addas aut suppleas: potentissime, aut sapientissime: aut adiectiuum aliquod laudis seu deuotionis, quod sensui versus congruat: vt si versus Dei misericordiam, opemve, aut liberationem postulat, addas tui adiectiuum conueniens, puta benignissime, clementissime &c. Si eiusdem narrat laudem aut potentiam, adicias, excellentissime, potentissime, magnificentissime, nobilissime. Si eius bonitatem, dic tu, amabilissime, suauissime, dulcissime, optime &c. Pari modo vbi in tertia quoque persona fit diuinæ potentix aut misericordix mentio, adde iuxta congruentiam adiectiuum, vt si versus psalmi fuerit: *Qui propitiatur* Psal. 119.
omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. In mente adicias tu: Verè misericordissimus, verè mitissimus &c. Porro vbi tui psalmus inducit memoriam, vt re adiectiuus seu attributis humiliatiuis, tuisq; vilificatiuis: vt sunt ingratus, miser, vilissimus, facinorosus, pauper, & similia. Exempli gratia: Ad hunc versum, *Delictum meum cognitum tibi feci*, interim quod eadem legis, verba supple tu: Ego miserimus & facinorosus peccator. Et ad Psal. 31.
 verba quæ sequuntur, *Et iniustitiam meam non abscondi*, dic in mente. Coram te Patre pijsimo & misericordissimo. Hæc sunt, fili charissime, remedia, quorum quodlibet tibi contra mentis petes instabilitatem in vsum vertere: felicior tamen estimamus eum, qui nullo horum eget, qui ex sensu verborum psalmi fursum agitur, ferturq; aspirando in Deum. Vale.

Vt sit vtendum recreationibus. & remedijs sanitatis.

Epistola XXXVIII.

IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS, CARTHVS.

filio suo charissimo, fortitudinem corporis & animæ.

Questio mihi abs te proposita est, sili in Christo charissime, in hæc verba. Sancti admonent nullam consolationem querendam in creaturis: Nunquid ergo non melius est dolores capitis & alia pati, quam admittere consolatoria, per quæ releuer? Respon- sio: Fili, hoc dicitur queri, quod est finis, cuius gratia cætera præcesserunt, aut fiunt. Qui finis cum obtentus fuerit, non queritur aliud. Ita ergo non debetis querere consolationem aut delectationem, vt ipsa delectatio finis sit, quam in creatura queritis, & ibi sit status atque requies: sed hoc quod delectat, aut fortalsè etiam secundum quod delectat si querendum est, querendum est propter aliud scilicet quia necessarium aut vtile ad sanitatē, vel huiusmodi conseruandum seu recuperandum. Illa autem querenda sunt, vt semper vsquequaq; placeatur Deo & eius voluntati seruiatur: vt corpus sufficiat ad labores externos & internos, ad pressuras & tentationes sustinendas &c. quæ consumunt vires, in quibus maior centuplo consistit profectus, quam in abstinentia. Itaque Deus est finis, & Deus queritur & non delectatio vel consolatio. Verbi gratia: Ecce iam ver est & omnia florent. Nonne delectabile

Consolationibus ac delectationibus quinam vtendum.

Natura ex-
hausta qui
reficienda.

Remedijs in-
firmis vt
subuenien-
dum.

Stabile est exire ad Rhenum, aut vineas inuisere. Hodie procurator monasterium exiit ad Rhenum, & inde ad vineam Nonne iuit ad ea quæ recreant. Ita. Nunquid quæsit recreationem? Haudquaquam. Quid ergo, vt habeat quod fratribus edendum ministrat, & vt videat ne vinea inculta relicta sit. Ergo non quæsit recreationem, sed monasterij commodum & fratrum necessitatem leuandam, licet vsus fuerit delectatione aut gressu delectabili: non tamen propter delectationem. Ita tu fili, fatigato corpori tuo, exhausto & magis exhauriendo subuenias, & vt laboribus, vt oneribus à Deo impositis, & adhuc tibi imponendis sufficias & proficias, conforta corpus tuum. Quicquid ad hoc iam suffragatur, licet delectabile sit, non tamen propterea solum, quia delectabile, sed quia ad perseverantiam necessarium & utile est, sumas. Non diceris consolationem quæsiisse, sed ad perseverantiam & subiectionem Deo te apertum reddidisse. Pati fit tibi in desiderio: noli procurare patientiam. Deus bene inueniet te: imò maior necessitas tibi incumbit de conseruatione corporis & sanitatis tuæ, quàm alienæ. Si ergo teneris proximū iuuare, ne destruat in eo opus Dei, sed perseueret ipse in ministerio Dei, quanto magis tibi es obligatus? Nescis an placeat Deo vt sis infirmus. Sis ei resignatus, vt si vellet ipse, semper teneat te infirmum. Interea sanitatis remedia accipias, ne tentare Deum velis, vt miro ac singulari modo te curet, sed (vt dixi) vt vere humano modo remedio, & dic Deo: Domine si me vis infirmum habere, ego nolo sanus esse: nec hæc faciens, reniti cupio tuæ dispositioni. Non operentur omnia hæc remedia (quæ solum propterea accipio, ne te offendam præsumptuosus) aliud, quam tibi placet. Hæc pauca pro tui consolatione scripsi fili, vt te ad Domino confortarem. Bene vale.

Vt tyro Christi in monastica religione debeat sese dare ad libertatem spiritus, timoribusq; ac scrupulis conscientie nimis, tanquam diabolici figmentis resistere, Deo suo confidere.

Epistola XXXIX.

IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS, CARTHVS
Filio suo charissimo N. felicitatem & gaudium, in Spiritu sancto.

Iesum Christum adhuc in tentatione constitutum tecum charissime frater intelligo. Et cum cæteri cum puero Iesu gaudia sua ludunt, in mœrore interim tu tabescis. Rogo igitur semel respicias, reiectis post tergum omnibus scrupulis ad iudicium tui magistri ac Prioris, & dimisis confessionum iterationibus, in miseratione Domini respices: quia non potes sufficere vnquam ad tui iustificationem, tamen si millies confitearis generationem. Ad maiorem pacem cordis peruenies, & pleniorum peccatorum remissionem, si ad Deum conuersus, mentalia, & amorosa orationum & meditationum exercitia assumes. Tentatio est diaboli cum scrupulis tuis, qui te turbat, impedire & ad desperationem te inducere nititur. Fac itaque iuxta consilia superiorum tuorum, & discite contemnere scrupulos inordinatos. Sæpe diabolus per huiusmodi impedit multos & perturbat, vt quos non potest ad manifesta peccata pertrahere propter timorem Dei, quo eos præditos videt. *fil*